

DE INALTERABILITATE.

IN alterabilitatē opponimus hoc loco alterationi, seu mutationi isti, quæ est in via ad rei corruptionem. Dupliciter enim potest considerari alteratio: primo prout sumitur pro receptione qualitatis perficientis rem, quæ mutatur in melius: Secundò prout recipitur qualitas corrumpens rem in se, vel certè viam sternens ad reicorruptionem. Dum igitur quæritur, an corpora gloriosa sint quoque futura alterationi obnoxia? respondetur per hanc distinctionem: Aliam alterationem esse mutationis in melius, & hæc βελίωσις melioratio dicitur: alteram mutationis in deterius, & hanc κακίωσις deteriorationem libet appellare.

Alteratio per κακίωσις nullum habet locum in statu beatorum. Illa per βελίωσις sic habet locum in hoc statu, vt ipsa acquisitio qualitatum coelestium & spiritualium, non nisi κατὰ βελίωσις fiat, imò sit ipsa corporum nostrorum βελίωσις. Vt enim serpens deponens veteres exuias & nouas induens; aut phœnix igne reficiens substantiam suam; aut vt aquila reiuuenescens alterari dicuntur alterationibus in melius: Ita & nostra corpora tantis donorum nouitatibus illustrata alterari & in melius commutari dicenda erunt: vnde & Epistola ad Hebræos II. v. 35. resurrectioni hoc addit Epitheton vt κρείττονα meliorem appellet, nimirum quia omnia meliora

liora